

essentia realiter identificatur cum essentia Filii, et essentia Filii est in Filio; et similiter Filius est in Patre, Pater et Filius sunt in Spiritu sancto, et Spiritus sanctus est in Patre.

Et idem concluditur ex eo quod singulae personae divinae sunt consciae per actum divinum essentialem et, praeterea, realiter identificantur cum actu divino essentiali. Nam quicumque realiter est intra conscientiam alterius, re vera est in illo alio. Sed actus divinus essentialis, quo singulae divinae personae sunt consciae, est intra conscientiam singularum personarum. Et praeterea singulae personae sunt ipse actus essentialis. Qua de causa, singulae personae realiter sunt intra ipsam conscientiam cuiusque alterius.

Deinde secundum relationem sic exponi potest. Absoluti est esse per se et in se, quia totam suam rationem per propriam realitatem habet et intra suam realitatem claudit. Relativa autem sunt quorum esse (ratio) est ad aliud se habere, quia ipsa eorum ratio alterius rationem in se includit et ipsa eorum realitas nihil aliud est quam respectus ad aliud. Ita Pater est Pater quia Filium habet, et vicissim Filius est Filius quia Patrem habet; in ratione ergo Patris includitur Filius; et in ratione Filii includitur Pater; at realitas Patris est realitas ipsius huius rationis, et similiter realitas Filii est realitas rationis, Filii; ergo sicut Pater includitur in ratione Filii, per consequens quodammodo includitur in relativa realitate Filii; et similiter Filius quodammodo includitur in relativa realitate Patris; et idem est dicendum circa Spiritum sanctum.

Quod et manifestius perspicitur cum ulterius considerentur relationes divinas reales esse intellectualiter conscias. Non solum enim, quod supra positum est de mutua inclusione divinarum personarum in relativa alterius cuiusque realitate, a singulis divinis personis ex parte obiecti (sicut et a nobis) cognoscitur, sed etiam id ipsum, quod divinae personae sunt, est ordo seu ordinatio intellectualiter conscia. Paternitas enim est ordinatio intellectualiter conscia ex perspecta evidentia ad verbum dicendum et dictum; et haec paternitas est ipse Pater. Filiatio pariter est ordo intellectualiter conscius verbi dicti ad perspectam evidentiam infinitam ex qua dicitur; et haec filiatio est ipse Filius. Spiratio passiva denique est ordo intellectualiter conscius ad bonum infinitum et intellectu perspectum et verissimo iudicio affirmatum; et haec spiratio passiva est ipse Spiritus sanctus.

Cum ergo doceat S. Thomas « unum oppositorum relative esse in altero secundum intellectum » [*ibid.*, q. 42, a. 5], exponi potest non tantummodo secundum intellectum nostrum quatenus nos intelligimus relationes divinas, sed etiam secundum intellectum divinum quatenus personae divinae relationes divinas comprehendunt, neque tantummodo secundum intellectum divinum quatenus ex parte obiecti hae relationes intelliguntur, sed etiam quatenus ex parte subiecti intellectualiter conscii unaquaeque persona cuiusque alterius conscia est.

Secundum origines denique sic exponitur. Quia emanatio intelligibilis est intra realitatem et conscientiam eius ex quo est, Filius est intra realitatem et conscientiam Patris, et similiter Spiritus sanctus est intra realitatem et conscientiam Patris et Filii. Praeterea, quamvis in nobis singulis non sit nisi una persona et unum subiectum conscium, in divinis sunt tres personae et tria subiecta conscia. Qua de causa, non solum Pater ut principium Filii, et Pater Filiusque ut principium Spiritus sancti habent aliam personam intra eorum conscientiam atque realitatem ut ex iis procedentem, sed etiam Filius ut procedens a Patre, et Spiritus ut procedens a Patre Filioque habent respective Patrem et Patrem Filiumque intra propriam conscientiam atque realitatem.

Quod et aliter exponi potest. Deus enim est ens per essentiam et ipsum intelligere, verum per essentiam et ipsum affirmare, bonum per essentiam et ipsum diligere. Quae quidem tria ratione tantum inter se distinguuntur, ut ipsa divina realitas sit intelligibile actu intellectum, et per identitatem divinum verum actu affirmatum, et per identitatem divinum bonum actu dilectum. Attamen Pater est Deus intelligens ut principium Verbi; et Verbum est Deus affirmans ut procedens a Patre; et Spiritus est Deus diligens ut procedens a Patre Filioque. Quare, unaquaeque persona est in alia secundum quod ipsa est ens et intelligens et ideo in Patre, verum et affirmans et ideo in Filio, bonum et diligens et ideo in Spiritu.

Quod et aliter exponi potest. Cum enim in divinis idem sit esse intentionale ac esse naturale, Verbum est Deus non solum secundum esse intentionale sed etiam secundum esse naturale; et ideo aliae personae sunt in Verbo, cum eorum

esse naturale etiam esse intentionale sit. Et secundum hoc dicitur Deus esse in divina intentione Dei intellecta seu in Verbo²⁰. Praeterea, quamvis in nobis amor non faciat nisi quamdam quasi identificationem amantis cum amato, secundum quod amicus a poeta dictus sit dimidium animae suae, in divinis amor facit veram et plenam identitatem amantis et amati; et secundum hoc verissime dicitur Deus amatus esse in Deo amante²¹; quare in quantum Pater et Filius amantur amore procedente, qui est Spiritus sanctus, sunt in ipso hoc amore. Iterum, quamvis Pater et Filius sint consubstantiales ratione generationis divinae, etiam sunt consubstantiales ratione amoris qui duos in unum coniungit; et secundum hoc Spiritus sanctus dicitur nexus Patris et Filii, non quasi processione intermedius esset, sed quia quos natura fecit consubstantiales, etiam amor infinitus ab aeterno sub alio aspectu unum facit²².

ASSERTUM XIV

DUAE SUNT PERFECTIOIS RATIONES, QUARUM PRIMA EX ACTU DESUMITUR, ALTERA AUTEM EX UNITATE ORDINIS REPETITUR. ET PRIMA QUIDEM PERFECTIO IN DIVINA SUBSTANTIA INVENTUR INFINITA; ALTERA AUTEM IN DIVINIS RELATIONIBUS SIMUL SUMPTIS TANTA VERIFICATUR QUANTA MAIOR COGITARI NEQUIT. AT QUAMVIS DUO PERFECTIOIS CONCEPTUS RATIONE INTER SE DISTINGUANTUR, IN DEO TAMEN UNAM INDIVISAMQUE PERFECTIIONEM REALEM DICUNT.

Assertorum intentio.

Triplici asserto una respicitur quaestio, nempe, quaenam sit perfectio divina quae, cum naturali rationis lumine nobis innolescere non possit, per dogma SS. Trinitatis reveletur. Ad cuius solutionem statuitur 1) sub nomine perfectionis non unum sed duos intelligi conceptus, 2) quorum alium in divina substantia et alium in divinis relationibus simul sumptis ita verificari, ut 3) una realiter sit ipsa divina perfectio.

²⁰ *C. Gent.*, IV, 11.

²¹ *Ibid.*, 19.

²² *Sum. theol.*, I, q. 37, a. 1 ad 3m.

secundum illud: « *His quidem universi est aliquod bonum in ipso existens, scilicet ordo ipsius universi* »²⁷.

Præterea, angeli ordinantur et inter se et relate ad cæteras creaturas²⁸.

Præterea, perficiuntur homines hac in vita non solum per bona particularia, quæ singuli appetunt atque prosequuntur, sed etiam per unitatem ordinis tum domesticam tum oeconomicam tum politicam tum socialem, quam multi qua multi eo vehementius appetunt, quo clarius rerum causas perspiciunt et ab errore individualismi exaggerati recedunt.

Præterea, cum singuli homines multis partibus constent, etiam multæ hæc partes qua multæ in propriam perfectionem tendunt. Et ideo inter bona corporalia maxima recensetur sanitas quæ est dispositio secundum rectum ordinem partium tum inter se tum ad totum hominem; et similiter inter bona spiritualia maxima quædam recensetur iustitia illa interna, ad quam supernaturalis iustificatio terminatur, quæ est rectitudo quædam ordinis, prout supremum hominis subditur Deo et inferiores vires animæ subduntur supremæ, scilicet rationi²⁹.

Quibus perspectis, procul dubio concludendum videtur duplicem esse perfectionis rationem, cum entia singula qui singula ad finem et perfectionem per actum pertingant, et eadem entia multa qua multa per unitatem ordinis perficiantur.

Tertio, secundum rationem perfectionis quæ ex actu desumitur, divina substantia est perfectionem infinita.

Nam divina substantia est actus purus sine ulla potentie admixtione. Sed unumquodque limitatur per potentiam, et per actum perficitur. Ergo divina substantia, propter actum, est perfecta et, propter negatam potentiam, est perfectione infinita.

Quarto, in divinis relationibus simul sumptis verificatur ratio perfectionis quæ ex unitate ordinis desumitur.

Nam ratio perfectionis quæ ex unitate ordinis desumitur in eo consistit quod multa ita inter se ordinantur ut unum ordine constituent.

Atqui in divinis relationibus verificatur mutua illa ordinatio quæ unum ordine facit.

²⁷ *Ibid.*, q. 103, a. 2 ad 3m.

²⁸ *Ibid.*, qq. 108 ss.

²⁹ *Ibid.*, I-II, q. 113, a. 1.

Ergo in divinis relationibus simul sumptis verificatur ratio perfectionis quae ex unitate ordinis desumitur.

Maiores definit unitatem ordinis.

Minore ex antecedentibus constat. Nam paternitas divina est ordinatio ad verbum dicendum atque dictum; filiatio autem est ordinatio verbi ad dicentem; spiratio activa est ordinatio ad amorem spirandum et spiratum; spiratio passiva est ordinatio amoris ad spiratorem; et cum spiratio activa sit eadem realiter ac paternitas et filiatio, unum quoddam ordine ex his quatuor relationibus realibus constituitur.

Quinto, tanta est haec perfectio secundum unitatem ordinis, quanta maior cogitari nequit.

Nam eiusmodi perfectio secundum unitatem ordinis considerari potest vel formaliter ut unitas quaedam vel materialiter in quantum multa sunt ordinanda. Sed sub utroque aspectu perfectio ordinis in divinis est summa. Ergo tanta est haec perfectio quanta maior cogitari nequit.

Sub aspectu enim formali triplex perfectionis gradus distingui potest. Alia enim est perfectio ordinis quae ordinatis ab extrinseco imponitur, et eiusmodi perfectio invenitur in artefactis, puta, in lapidibus, et lignis ita ordinatis ut domum unam constituunt. Alia deinde est perfectio ordinis quae in societate invenitur, ubi ipsum ordinis bonum constituitur eo quod a multis perspicitur, aestimatur, atque eligitur. Alia denique est perfectio ordinis quae intra conscientiam intellectualem per se invenitur atque in eo consistit, quod bonum ordinatae conscientiae ideo attingitur quia intelligitur et ideo firmum affirmatur et ideo honeste eligitur.

Iam vero secunda est perfectior quam prima, tum quia prima ab extrinseco imponitur sed secunda ex ipsis ordinatis qua intellectualibus oritur, tum quia prima nisi divisim in singulis existit sed secunda tota in singulis intentionaliter invenitur. Tertia vero est perfectior quam secunda cum non solum ab intrinseco oriatur et tota intentionaliter ordinatis insit, sed etiam ipsa tota perfectio quae intenditur eo ipso perficiatur quia intellecta probe affirmetur et affirmata honeste eligatur.

Porro, in creaturis intellectualibus non invenitur perfectio ordinis inter personas nisi secundum alterum et imperfectiorem modum; et ipse tertius modus non attingitur nisi in quantum actus accidentales intra conscientiam finitam inter se ex parte subiecti rationalis ordinantur. In divinis autem